



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Petri Laurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

442. An Coadjutus revocare possit ea, quæ Coadjutor gessit in casibus sibi  
à jure vel consuetudine permissis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

torum voluit providere Ecclesia) non fuerit tam prae-gnans, quin possit Praelatus per se subve ministros ordinarios obligationi suae satisfacere. Plura huc spectantia vide supra, ubi de alimentis praestandis Coadjutori.

*Quaestio 440. Num habens Coadjutorem in dignitate & Canoniam possit ipse in uno, & Coadjutor in altero deservire.*

**R**espondet affirmativè Castrop. *loc. cit. num. 38.* additque hinc utrumque Coadjutum, & Coadjutorem habiturum vocem in Capitulo, & dationem; quia hoc cedit in utilitatem Ecclesiae.

*Quaestio 441. An Coadjutus alteri delegare possit ea, quae Coadjutor vult, & potest per seipsum exercere.*

**R**espondet negativè Fagn. *in c. ex parte. de Cler. egrot. num. 25.* ubi: ea, quae Episcopo impedito Coadjutor illius expedire potest; & vult per seipsum, non potest Episcopus alteri delegare. Viderur tamen id fallere, dum Episcopus habet suum Vicarium generalem, posse nimirum tunc ea illi delegare praeterito Coadjutore.

*Quaestio 442. Num Coadjutus revocare possit; quae Coadjutor gessit in casibus sibi à jure vel consuetudine permisis.*

**R**espondet negativè Fagn. *in c. ex parte. de Cler. egrot. num. 26.*

*Quaestio 443. Num confessio Coadjuti nocent Coadjutori, & contra.*

**R**espond. negativè; quia tam Coadjutus quam Coadjutor agit nomine proprio, & potestate à Papa accepta, non potest alteri praedicare sua confessione. Garc. *p. 4. c. 5. num. 126.* Castrop. *tract. 13. d. 1. p. 10. num. 32.* Gonz. *gl. 5. §. 9. n. 129.* citans Mandos, *in pr. signatur. gratia tit. Coadjutor*

*ad finem vers. confessionem. Rotam in Hyspal. portio-nis de anno 1551. teste Achil. de Grass. decis. 162. alias 3. sub tit. de confessis.*

*Quaestio 444. Num sententia lata contra Coadjutum noceat Coadjutori, & contra. Item lata contra unum Coadjutorem noceat aliis Coadjutoribus.*

**1. R**esp. ad primum: sententiam datam contra Coadjutum non nocet Coadjutori, si is citatus non sit, saltem per proclama seu in genere, vel contra; quia est res inter alios acta. Garc. *loc. cit. num. 128.* citans Rotam in Toletana juris decernendi 19. Febr. 1594. Castrop. *loc. cit. num. 33.*

**2. R**esp. ad secundum: multò minus nocere potest sententia lata contra unum Coadjutorem, eo cedente vel decedente, ipsius successoris obligationem datam; quia nimirum est res inter alios acta, & quae ad ipsum non pertinet. Castrop. *loc. cit. num. 129.* & sic si sententia lata super invaliditate Coadjutoria primi Coadjutoris, non potest praedicare secundo Coadjutori; cum secunda Coadjutoria sit diversa à prima. Garc. *loc. cit. num. 92.*

**3. L**imitatur tamen haec responsio hac ratione: nisi sententia lata sit super juribus & praeminentiis Coadjutoriae; tunc enim sententia lata contra unum Coadjutorem sequentibus, imò aliis similibus praedicare posset, juxta *l. ingenuum. ff. de statu hominum.* Castrop. Garc. *l. cit. citans Tiraq. tract. res inter alios acta. limitat. 27. Covar. pract. c. 13. num. 5. & Rotam in Calagur. benefic. de Navarra. 20. Jun. 1588.* quia in causa status personae prodest & nocet sententia inter alios lata. Gonz. *ad reg. 8. gloss. 9. §. 1. n. 85.* citans praeter *l. ingenuum.* Tiraq. & Covar. jam citatos Felin. *in 6. cum omnes. de constir. n. 7. Abb. ibid. n. 4. Curtior. conf. 1. n. 3. Peregrin. tract. de fideicom. n. 35. num. 44.*

\*\*

